



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio trigesima octaua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Q VÆSTIO TERTIA.

Vtrum culpa magis habeat de ratione
mali, quam pena.
Tho. i. q. 43. ar. 6.

Postmodum queritur, quid plus habeat de ratione mali, culpa an pena. Et videtur quod ponat, quia sicut in bonis illud est melius, propter quod alterum elicitur, ita in malis illud est peius, propter quod alterum evitatur, sed culpa evitatur propter penam, ergo &c.

2 Item sicut se habet meritum ad premium, ita culpa ad penam, sed premium melius est merito; ergo pena est deterior culpa.

3 IN contrarium est, quia omne quod communiter dicitur de causa à causato, verius & principalius dicitur de causa, quam de causato; sed malum dicitur de culpa & pena, tanquam de causa & causato; culpa enim est causa peccata, ergo &c.

4 R E S P O N S I O . Quid sit maius malum culpa, an pena, impropriè queritur, quia quae comparantur propriè secundum maius & minus debent esse vnius rationis in eo in quo comparantur, vt patet ex. 7. Physic. malum autem non conuenit vniuersitate culpæ & penæ, quia pena est malum nature, culpa vero malum moris, ideo &c. Item culpa cōsūlit in actione, pena autem in passione, haec autem non sunt vnius rationis, ideo &c.

5 Quia tamen largè cōparantur quandoq; que in vna ratione non conueniunt, sicut dicimus quod substantia verius est ens quā accidens; ideo tolerando dictam cōparationem, dicendū quod culpa verius habet rationē mali quam pena, quod patet ex propriis rationibus boni & mali, ratio enim boni, vt supra dictum est. 33. qu. 1. &c. est ratio conuenientis: ratio autem mali est conuenienter punitio. Tunc si illud est maius malū homini, quod tollit illud quod maximē cōuenit ei, sed hoc est magis culpa quam pena, ergo &c. Probatio minoris, quia illud cōuenit maximē homini, quod conuenit ei secundū quod est homo, sed bonum rationis quod tollitur per culpā est huiusmodi. Cōuenit enim homini secundū quod est homo, quia homo est homo per rationē, quare &c. Item malum culpæ est in potestate hominis, malum autem pena non, quia autem sunt in potestate hominis imputantur ei: & ideo malum culpæ imputatur homini, vt ex ipso dicatur in malis, non autem ex malo penæ, & ita loquitur Diony. 4. cap. de diu. no. quod puniri non est malum, sed fieri dignum pena, & Augu. i. de lib. arb. quod culpa est malum quod facimus, & quo malū sumus: pena vero est malum quod patimur, non quo malū sumus. Et ideo alibi dicitur quod melius est omnia pati mala, quam mala consentire.

6 A D primum argumentum dicendum quod culpa non est vitia principaliter propter penam, sed propter se, etiam si nulla pena sequeretur. Vnde & virtuosus plus culpm fugit, quam penam, ad quam tamen oportet mensurare actus aliorum hominum, vt dicitur, Ethicorum.

7 Ad secundum dicendum quod licet culpa terminetur ad penam, sicut meritum ad premium, tamen non intendit propter penam sicut intenditur meritum propter premium, sed potius inducitur ut culpa vitetur: & sic culpa maior est siue peior, quam pena.

Sententia huius distinctionis. xxxviii.
in generali & speciali.

Post predicta de voluntate. Superioris Magister determinauit de peccato per comparisonem ad actus qui bus peccamus, ponendo distinctionem peccati. Hic determinat de peccato per comparisonem ad potentiam voluntatis, & ad alias potentias. Secundū inquirit de peccato voluntatis per comparisonem ad alias potentias. Tertiū inquirit de peccato prout respicit actus exteriores. Secunda in princ. diff. 39. ibi, hic erit quistio. Tertia in princ. 40. diff. ibi, post hanc de actibus est considerandum. Prima est principalis lectio. Et diuiditur in tres. Primi inquirit vtrum voluntas habeat restitutinam tantum à fine. Secundi inquirit vtrum iste finis sit unus an plures. Tertiū ostendit quomodo se habeant intentio & voluntas adiun-

Questio I.

193

vicem. Secunda ibi, sed queritur, vtrum bona & voluntates. Tertia ibi, soleret etiam queri. Prima in duas. Primo ostendit quod iste finis finis est charitas. Secundū ostendit quod iste finis finis, qui est Deus, non excludit. Secunda ibi, ergo charitatem sibi ponit finem. Secunda pars principialis, in qua determinat de vnitate & pluralitate finis diuiditur in duas. Primo determinat questionē intentiā. Secundū obicit contra determinata, & soluit. Secunda ibi, veruntamē huius sententię. Illa pars principialis, in qua inquirit quomodo se habeant intentio & voluntas, diuiditur in duas partes, secundū duas quae s̄tiones quas mouet & soluit. Secunda ibi, sed queritur vtrum etiam intentio. Haec est sententia & diuisio lectionis in generali.

2 IN speciali verò sic procedit Magister. Et proponit primum, quod voluntas restitutinem & peruerteratrem habet a bono vel mali: finis autem bonus est charitas, quoniam propter charitatem fieri debet quicquid fit. Postea dicit quod iste finis ad vltiorem finem ordinatur, scilicet ad Deum: mali autem voluntatis finis est mala dilectio, vel deflactio. Postea dicit quod poterit esse plures fines intermedii, tam bonarum quam malarum voluntatum, qui sunt quasi quoddam medium in veniendo ad vltiorem finem. Postea ponit quādam autoritatem, per quam videtur probare quod duos fines nō debemus nobis constitutre, & soluit dicens quod hoc intelligendum est, quād illi fines sic se habent quod vnuus ad aliū non refertur. Postea querit, vtrum voluntas & intentio sint idem. Et responderet quod voluntas propriè dicit ipsam potentiam. Intentio verò dicit illud propter quod mouetur ad vltimum. Ultimum querit, vtrum idem sit actus, quo voluntas vult finem, & ea que sunt ad finem. Et respondet quod quibusdam non viderit esse idem; quibusdam verò videatur quod sunt idem actus voluntatis. diuerificant tamen secundum voluntatē, Magister tamen hoc indeclaratum rea linquit. Et in hoc terminatur sententia lectionis, &c.

Q VÆSTIO PRIMA.

Vtrum bonitas actus voluntatis sit ex fine.
Tho. i. 2. q. 1. ar. 3. & q. 18. ar. 2. 3. & 4.

Circa distinctionem istam primum queritur, vtrum bona actus voluntatis sit ex fine. Et videtur quod sic quia motus recipit speciem à termino, sed terminus actus voluntatis est finis, ergo &c.

2 Item Boëtius in Topicis suis dicit quod eius finis bonus est, ipsius quoq; bonus est: ergo bonitas finis causat bonitatem operis.

3 IN contrarium arguitur, quia euangelizare bonum est, manducare bonum est, tamen euangelizare propter manducare non bonum est, ergo bonitas operis non est ex bonitate finis.

4 R E S P O N S I O . Quum questio sit de bonitate moralis actus voluntatis videnda sunt duo. Primum est, quis actus dicatur moralis, & quare. Secundum est, in quo consistat bonitas actus moralis ipsius voluntatis, & ex his apparet illud quod queritur.

5 Q V A N T U M ad primum sciendum est quod actus moralis dicitur actus qui est in potestate voluntatis, siue sit ab ea elicitus siue imperatus. Et dicitur moralis à more seu consuetudine, quia per morem seu consuetudinem possumus nos habere diuersitudinem de circa tales actus, inquantu[m] assuelsumus sic vel alter operari, & omnes tales actus sunt liberi. Circa actus enim purè naturales consuetudo vel mos nō habet locum. Si quis enim projectat lapidem sursum centes millesies, nunquam affuerit ascendere, quia motus eius sursum vel deorsum non est liber, sed unus est violens, & alter naturalis. Et propter hoc quod actus morales liberi sunt, & in potestate nostra: idcirco secundum eos laudamur, vel visuperamur, inquantum sunt boni vel mali.

6 E T est aduentendum quod predicti actus morales sunt quādam res inesse natura, sed dicitur morales, propter rationem iam dictam, & quanvis esse morale nihil reale addat super naturalem talium actuum entitatem: tamen aliud iudicium est de eis secundum esse suę naturę & secundum mores, seu secundum genus moris. Actus enim temperatus & intemperatus sunt eiusdem speciei in

BB esse

Magistri Durandi de

esse natura, sed in esse morali dicuntur contraria. Quod in esse natura sunt ciuidae speciei patet, quia illi actus sunt ciuidae speciei in esse natura, quorum sunt eadem principia secundum speciem, sed actuum praecedentium huiusmodi habitus sunt eadem principia secundum speciem in esse natura, & ex parte appetitus & appetentis, & ex parte obiecti. Si enim duo concupiscunt facere cum eadem muliere, quia est vxor vnius, & non alterius, quicquid pertinet ad esse natura totum est vnius speciei ex utraque, & tamen unus actus est interperatus, & alijs temperatus, quare &c. Pater secundo, quia de actibus appetit sensitiu in nobis & in brutis, quatum ad esse natura est idem iudicium. Tquod enim appetitus sensitiu in nobis obediatur rationi, non autem in brutis potest quidem facere differentiā in moribus, sed non in esse natura) sed in brutis appetitus sensitiu sunt eisdem speciei quatum ad esse natura, respectu omnium obiectorum quae non differunt specie in esse natura, ergo & in nobis. In esse tamen morali non dicuntur esse vnius speciei, immo sunt oppositi, & unus est bonus, & alijs est malus.

7 Q V A N T V M ad secundum, scilicet quid sit bonitas moralis, & in quo consistit. Scendum est quod quum ratio boni sit ratio convenientis, sicut bonum nature consistit in esse conueniens natura, sic bonitas moralis actus voluntatis consistit in convenientia eius ad rationem regam. Quod pater duplicit. Primo ex ratione boni sic, bonitas moralis, actus voluntatis est conuenientia eius ad hominem secundum esse morale, sed homo habet primum esse morale per rationem practicam, per quam habet primo liberum iudicium de eligibilius, hec autem non est conueniens nisi sit recta: ergo bonitas moralis actus voluntatis, & cuiuscunq; alterius est conuenientia eius ad rectam rationem. Secundo pater idem ex coparatione actus rationis ad actum voluntatis sic. Sicut se habet veritas rationis ad entitatem rerum, sic bonitas voluntatis ad veritatem rationis, causa huius est, quia sicut obiectum intellectus sunt res exteriores, sic bonum a ratione propositum est obiectum voluntatis, sed veritas rationis est conformitas eius ad entitatem rerum: unde diffinitur veritas, quod est adaequatio intellectus ad rem: ergo similiter bonitas actus voluntatis est conformitas eius ad rectitudinem rationis. Huic etiam concordat dictum communis: scilicet quod bonitas cuiuslibet rei constituit in conformitate ad suam regulam: ratio autem est regula voluntatis: semper enim non cognoscititia nata sunt regularia cognoscitibus, ideo &c. Hac autem convenientia vel conformitas actus voluntatis cum ipsa ratione non attenditur secundum esse natura ut talis sit actus voluntatis quoad esse natura, qualis est actus rationis, sed secundum tenditiam in obiectum, ut illud tendat actus voluntatis eligendo quod recta ratio prius dictauit eligendum.

8 Ex his patet tertium videlicet à quo actus voluntatis habet bonitatem morale, quia tota bonitas moralis actus voluntatis est ex suo obiecto accepto secundum totalem ambitum obiecti, quod pater, secundum hoc enim attendit conformitas inter voluntatem & rationem, quia voluntas vult quod ratio dicit, sed omne quod est à ratione dictatum vel à voluntate volitum est obiectum, vel a dictu ratione obiecti rationis & voluntatis, ergo &c. Minor pater, quia omne quod est vifum cadit sub ratione obiecti visus, & omne quod est auditum cadit sub ratione obiecti auditus. Sic omne cognitum dictum vel ratione est obiectum rationis, vel cadit sub ratione obiecti, & omne volitum sub obiecto voluntatis, omne enim in quod fertur quicunq; potentia est obiectum eius, unde sicut plurium volitorum vnum possit esse circumstantia vel finis alterius, omnia tamen respectu voluntatis habent rationem obiecti, patet ergo quod bonitas & conformitas voluntatis ad rationem est totaliter ex obiecto sicut ex fundamento, nec oportet aliam causam querere nisi forte vel les inquirere à quo mouetur voluntas in obiectum sibi à ratione propositum, de quo alibi dictum est: nec si stud dispare à cōmuni dicto q; bonitas actus voluntatis est ex obiecto, & ex fine & ex circumstantiis, nec alterum istorum sufficit, sed oportet omnia concurrere, quia bonis est ex tota causa secundum Dionys. quia haec omnia comparata ad voluntatem cadunt sub ratione obiecti, ut probat est,

Sancto Porciano

sed comparata inter se vnum est finis vel circumstantia alterius, verbi gratia in volente dare eleemosynā indigentia propter Deum, dare eleemosynā est principale obiectum, sed quod hoc fiat propter Deum habet rationem finis & indigentia eius cui datur rationem circumstantia, ex quibus omnibus actus voluntatis fortitur bonitatem moralē, & tamen haec omnia cadunt sub ratione obiecti voluntatis sumptu secundum suum totum ambitum.

9 Sed premissis obiuri videatur, quia contingit actum voluntatis esse bonum qui tamen non conformatur rationi recte sed errone, ut cum aliquis vult reddere debitum mulieri, petenti que non est sua quia tamen credit esse sua sicut fuit de Iacob, & Lya. Et dicendum ad hoc quod etiam in tali causa voluntatis conformatur rationi recte seu vera quia actus rationis cui debet conformari actus voluntatis est conclusio syllogismi practici que est vera dato quod aliqua premisarum falsa, & si argutiar sic, debitum est reddendum vxori. Sed est vxor, ergo est ei reddendum debitum. In hoc syllogismo licet minor sit falsa quia sita non est vxor. Conclusio tamen est vera quia ei que non est vxor, creditur tamē esse vxor adhiberi debita diligentia que in talibus adhiberi consuevit licet est reddere debitum, quia talis ignorantia excusat & huic conclusioni vera conformatur actus voluntatis sequentis.

10 A D primum argumentum dicendum quod terminis actus voluntatis est suum obiectum, in ipsum enim extendit voluntas nec in finem tendit nisi ut cedit sub ratione obiecti ut dictum est.

11 Ad secundum dicendum quod plurim voluntorium vnum potest esse finis alterius. Et si illud quod est finis sit bonum & illud quod ordinatur ad ipsum erit bonum modo sit ordo rerum per se, sicut ordinatur dominus ad habitationem. Si autem talis ordo sit ex sola intentione ordinantis & non ex natura rerum, non etiam oportet, potest enim quis ordinare furtum ad subveniendum pauperi, nec tamen propter hoc furtum est bonum, respectu rationis voluntatis nullum volitum in quantum huiusmodi habet rationem finis, sed solum obiecta, sed finis voluntatis est finis actus sicut in ceteris rebus, qui si sit bonus voluntas dicitur bona, si malus mala.

12 A D argumentum alterius partis dicendum quod voluntas que vult euangelizare propter manducare maius est, quia sequitur rationem errantem, finis enim non solum debet esse bonus, sed debet esse melior his que sunt ad finem, & ideo licet manducare sit bonum, tamen non est bonus finis euangelizandi, propter hoc ratio que hoc dicitur, erronea est, & voluntas que hoc vult, est mala.

Q V E S T I O S E C U N D A.

Vtrum intentio sit actus voluntatis.

T. 1. 2. q. 12. a. r. t.

Secundum quod videtur vtrum intentio sit actus voluntatis. Et videtur quod non, quia omnis actus voluntatis, vel est finis vel eorum que sunt ad finem, sed intentio non est finis nec eorum que sunt ad finem, ergo &c. minor pater, quia actus voluntatis respectu finis dicitur velle, respectu autem eorum que sunt ad finem dicitur eligere, quorum neutrum est intentio, ergo &c.

2 Item naturalia intendunt finem ut dicitur, 2. Physic sed in eis non est voluntas, ergo &c.

3 In contrarium est, quia meritum & demeritum pertinent ad voluntatem, sed tam meritum quia demeritum attenduntur maxime secundum intentionem secundum Ambros. ergo &c. Responso, si sequeremur interpretationem nominis intentionis, quum intendere sit ex uno in aliud tendere possemus dicere quod intentio est actus rationis, cuius est ex uno cognito ratioinando in aliud tendere, & pedis cuius est ex uno loco in aliud tendere, & si militer plurium aliorū: sed quia interpretatio nominum est quandoq; nimis late (non enim omne latens pedem est lapis, nec omne tritum à pede est petra) ideo in signis significatis non in unum magis sequendus est vius loquentium, quā in interpretatione eorum.

4 D I C E N D A sunt ergo tria. Primum est, q; intentio est actus voluntatis. Secundum est, q; est respectu finis. Tercium est

Lib. II. Distinctio. XXXVII.

Tertium est, quod est respectu finis non absolutus, sed ut per aliquid aliud peruenitur ad finem.

<sup>d.14.g.2.
c.3. huius
c.d.l.q.
s. prim.</sup>

5 PRIMVM patet dupliciter. Primo sic intendere importat in aliud tendere: tendit autem in aliud & actio mouentis & mobilis, sed quod mobile tendat in aliud, hoc procedit ex actione mouentis. Ex hoc sic arguitur, illi potentia p̄cipue conuenit intendere cui competit motus actius & passiuus, sed sola voluntas est huiusmodi, ergo &c. Maior patet: sed minor probatur. Aliis enim potentibus à voluntate competit tendere ex uno in aliud solum passiuus, sicut rationi competit discurrere ex uno cognito in aliud, sed hoc habet actiuum à voluntate impetrante discursum, & similius est in aliis. Voluntas autem tenet quidem ex uno volito in aliud, sed hoc aliquo modo habet à se actiuum, & non solum passiuus, sicut alijs potentes, sicut alias declaratum fuit, ideo &c. Item nullus intendens ad malum operatur, ut vult Dionsius de di. no. Illius ergo potentia intentio est actus, cuius obiectum est bonum & malum, hęc autem est voluntas, ergo &c.

6 SECUNDVM sic patet inter volita illud habet rationem intenti, quod habet rationem termini, intentio enim importat motum: motus autem per se recipit terminum, & non medium nisi ratione termini, sed finis habet rationem termini, ea autem quae sunt ad finem rationem medii, ergo &c.

7 TERTIUM apparet ex eodem, omnis enim motus est ex quodam in quoddam: intentio autem non importat simplicem actum voluntatis, sed motum, ergo intentio est actus voluntatis ex quodam volito tendens in aliud. Illud autem in quod tendit est finis, ut iam dictum est: illud autem ex quo vel per quod tendit, est res ordinata ad finem, ergo &c. Aduerteramus tamen quod licet sic propriętā nominē intentionis, tamen in communī viu loquendi, quod nominē intentionis sumitur largè pro actu voluntatis, quo immediate volumus aliquid, p̄cipue in operabilibus, sicut dicimus quandoq; quod intēdimus ite ad talem locum, vel incēdere, vel aliquid huiusmodi.

8 A primū argumentum dicendum quod intētio proprię est actus voluntatis respectu finis. Sed voluntas potest respicere finē duplicitē, uno modo prout in eo quietatur, & hoc modo actus voluntatis dicitur fructus, alio modo secundū q̄ est terminus aliquis quod in ipsum ordinatur, & sic intentio respicit finē quae differt ab electione. Electione enim est directē de his quae sunt ad finē, licet in habitudine ad finē. Sed intētio est directē de fine, licet in habitudine ad ea quae sunt ad finē modo quo dictum est, forte differentia electionis ab intentione & conuerso est solum secundū rationē. Cū enim simul & eodem actu voluntas fertur in finem, & in ea quae sunt ad finē, simul & eodem actu finē intendit, & ea quae sunt ad finē. Dicitur ergo actus intentio quoad finē, sed electio quantū ad ea quae sunt voluntas propter finem: velle autē proprię dicit actum voluntatis absolute respectu boni, non inclusa ratione finis, vel eorum quae sunt ad finē. Cū enim rationes eorum sint relatives: impossibile est q̄ voluntas fertur absolute in aliud eorum sub propriis eorum rationibus. Sed si fertur in unum, fertur & in alterū, cū referatur mutuo secundū rationē bonitatem in eis existentiam. Quod autem dicit Philos. 3. Ethic. quod voluntas est finis, nō est intelligendum cum reduplicatio, scilicet q̄ sit finis in quantum finis, sed quia nihil potest habere rationē finis, nūl habeat aliquam bonitatem in se, ratione cuius voluntas potest ferti in ipsum absolute, multa autem ordinantur in finem, quae nullam habent bonitatem in se & absolute, sed solum ex ordine in aliud (puta medicina amara) ideo voluntas magis dicitur esse finis quā eorum quae sunt ad finem, licet neutrorū sit cum reduplicatio, quia velle dicit actum voluntatis respectu boni absolute.

9 Ad secundū dicendum quod naturalia dicuntur intendere finem metaphorice & non proprię, quia appetitus eorum non dirigitur in finem à se vel ab aliquo fibi coniuncto, sed ab intellectu separato infringente naturam & ideo magis agnitus quam agat. Voluntas vero mouet se fatem indirecte, quatenus mouet rationem ad delibrandum, quae congruent fini, vel non: & ideo magis competit ei intendere, quā natura, cui non competit, nisi secundū quid, & improprię.

Quæstio III.

194

QVÆSTIO TERTIA.
Vtrum sit idem voluntatis actus respectu finis,
& eorum quae sunt ad finem.

Th. 1.2. q. 8. ar. 3.

Tertiò queritur, vtrum sit idem voluntatis actus respectu finis, & eorum quae sunt ad finem. Et videtur quod non, quia idem actus non potest esse intensus & rea misus, sed voluntas intensius fertur in finem, quam in illud quod est ad finem, ergo &c.

2 Item frui est actus voluntatis respectu finis: vti verò respectu eorum quae sunt ad finem: sed idem actus nō potest esse fructus & vltus, ergo &c.

3 Item sicut se habet intellectus ad principia, & ad conclusiones, sic voluntas ad finem, & ad ea quae sunt ad finem, sed intellectus non eodem actu fertur in principia & conclusiones, ergo &c. Minor probatur, quia plurius habituū non est idem actus, sed alius est habitus intellectus respectu principiorum, qui dicitur intellectus, alius respectu conclusionum, qui dicitur scientia: ergo &c.

4 CONTRA. Vbi vnum propter aliud vtrōbique tantum vnum est, cum ergo voluntas velit finem, & illud quod est ad finem propter finem vnum, tunc vult propter alterum, ergo idem est velle vtrōbique.

5 Item duo actus volēdi non possunt esse simul, sed voluntas simili vult finem, & illud quod est ad finē propter finem, ergo non sunt actus plures, sed unus. Quod autem voluntas simili vult finem, & illud quod est ad finem, in quantum huiusmodi, patet, quia sicut ea quae referuntur in ratione entitatis simul intelliguntur, sic ea quae referuntur in ratione bonitatis, sicut finis & ea quae sunt ad finē necessaria simul appertinentur.

6 RESPONSO. Primo videndum est qualiter voluntas habet ad finem, & ad ea quae sunt ad finem. Hoc autem ostendendā est ex similitudine eorum quae inveniuntur in intellectu. Videmus autē quod intellectus assentit aliqui tanquam per se noto, sicut primis principiis, & hic assensus vocatur intellectus. Aliis autem assentit rāquam notis, propter aliud, sicut conclusionibus deductis ex primis principiis: & hic assensus vocatur scientia vel aliquo alio nomine: & ad alterum istorum reductus omnis assensus intellectus, sive in speculatoriis, sive in practicis. Similes litteras voluntas fertur in aliud absolute tanquam in bonum per se, & hic motus voluntatis dicitur simplex velle & in aliud fertur, non tanquam in bonum secundum se, sed sicut in bonum propter aliud, & hic actus dicitur elegerē vel intendere, dicitur dierūs rationibus, ut dictum est & ad alterum duorum reductus omnis motus voluntatis.

7 His praemissis dicendum quod quæstio potest duplicitate intelligi. Uno modo, vtrum actus quo voluntas vult finem absolute (puta sanitatem) qui actus dicitur velle, & actus quo vult aliud propter finem, vel finem, vt per aliud acquiritur, qui actus dicitur eligere vel intendere, sit unus actus. Alter modo, vtrum electio vel intentio, quae respiciunt tam finem, quā ea quae sunt ad finem, sint unus actus, an plures. Primo modo, quæstio non est dubia. Constat enim quod sunt plures actus, qui quae separari possunt, non sunt vnum per se, sed actus voluntatis, qui aliquid vult absolute, putat sanitatem, separari potest ab actu electionis & intentionis, contingit enim voluntate sanari nihil cogitare, & per consequens nihil velle de his per quae acquiritur sanitas, ergo &c.

8 Si verò intelligatur secundo modo, vtrum electio vel intentio sint vnum actus. Dicendum quod sic. Quod patet tripliciter. Primo ex natura horum actuum secundum se: electio enim non est aliud quam inclinatio voluntatis in aliud propter finem: intentio verò est inclinatio voluntatis in finem medianis his quae sunt ad finem. Ex hoc sic arguitur, sicut vnum est morus, quo mobile fertur in terminum per media, sic est vna inclinatio quae inclinatur ad terminum per medium vel in medium propter terminum: sed electio vel intentio voluntatis est inclinatio eius in finem tanquam in terminum medianum his quae sunt ad finem, ergo &c.

9 Secundū apparet idem ex comparatione actuum voluntatis inter se, quia si electio vel intentio diuidetur ad duos actus voluntatis diuidetur in actum simplicem, qui est velle, & in electionem vel intentionem, quod patet

BB 2 62

Magistri Durandi de

ex præmisisis, quia omnis actus voluntatis reducitur in aliquem istorum duorum; sed eleæcio nō potest diuidi in eligere & velle, ergo &c. Maior pater. Minor probatur, quia nihil diuiditur in illud quod cõtra ipsum diuiditur, sicut animal non diuiditur in animal & plantam, quum vnum contineat totum diuisum, reliquum vero diuidatur contra ipsum. Eleæcio autem diuiditur contra volumen, vel contra velle simplex, ergo &c.

10 Tertiò apparet idem ex obiecti formalis ratione, quia quandoq; duo sic se habent quod vnum est alteri ratio quod cadat sub actu aliquius potentia, illa duo apparet hedduntur actu eodem, sicut color & quantitas eadē visione apprehenduntur, quia color ei formalis ratio vi quantitas videatur, sed quād aliquid appetitur propter finem, vel quando finis intenditur in eo quod est ad finem, finis est rota ratio appetendi illud quod est ad finem, nec refert ad propositum, siue illud quod est ad finem habet secundum se aliiquid appetibilitatis (vt electuarium dulce) vel non (vt medicina amara) quia in quantum appetitur propter finem, puta propter sanitatem, sanitas est tota ratio appetendi ea, ergo &c.

11 Ad primum argumentum dicendum quod actus quo voluntas vult finem, et illud quod est ad finem propter finem, non est intension & remissio secundum se, sed per comparationem ad obiecta, quia quum sit à duobus ab uno est perfectius quam ab altero, sicut dicitur prima propositione de causis, quod prima causa plus influit quam secunda, quanvis vnum sit quod influitur, quia respectu illius causa prima principialis se habet quam secunda. Vel potest dici quod licet voluntas vult intensius finem, quam ea que sunt ad finem quando sub distinctione ei proponuntur, puta si diceretur infirmo, vtrum magis vel let potionem, an curationem, statim responderit quod sanitatem: tamen quum proponit copulatiu vnum propter alterum æquè intense appetuntur.

12 Ad secundum dicendum quod inconveniens est idem esse obiectum vñus & frutionis, quia idem non potest habere ratione ultimi finis, cuius est frui, & relati ad finem cuius est vñus. Sed nullum inconveniens est eundem actu est vñus & frutione, & in patria quidem necesse est sic esse, sicut enim eodem actu beatifico videt quis Deum & nos creatas in ipso, sic eodem actu diligat quilibet beatus Deum & frutur eo, & diligit creaturas referendo in deum, & sic vñtur eis. Eodem modo est in viatoribus. Vel dicendum quod non omnis actus voluntatis est fructus respectu finis, sed respectu finis in se: non autem vt est virtualiter ter in eo quod est ad finem sicut in proposito.

13 Ad tertium dicendum quod intellectus eodē actu fertur in principiis & conclusiones, quando conclusiones deducit ex principiis, non autē quando absolute fertur in principiis sicut proportionabilitate dictum est de voluntate respectu finis, & eorū qua sunt ad finem. Et quod obiectum quod idem actus non potest elici à duobus habitibus. Dicendum quod intellectus est habitus quo fertur mens nostra in principiis absolute, sc̄ientia autem est habitus conclusionum deductarū ex principiis, & actus his habitibus correspondentes sunt diversi, sed quod intellectus fertur in principiis non absolute, sed in quantum sunt principia (sic enim dicuntur relatives ad conclusiones rāgum ad principiata) cognitio principiorum & conclusionum pertinet ad eundem habitum, sc̄ilicet ad scientiam.

QVÆSTIO QVARTA.
Vtrum omnium bonarū voluntatum
sit vñus finis.

Tho. t. 2. q. 1. ar. 7.

Deinde queritur, vtrum omnium bonarū voluntatum sit vñus finis. Videatur quod nō, quia si esset vñus omnium bonarū voluntatū, hic esset Deus, sed Deus nō est finis omnium bonarū voluntatū, ergo &c. Probatio minor, quia quod non est cognitum non est intentum, sed in omni bona actione non est necessarium de Deo cogitare, ideo &c.

2 Item malarum voluntatum non est vñus finis, ergo nec bonarum, consequentia pater per simile. Probatio antecedens, quia voluntates mala & contrarie sunt circa idem, sicut voluntas prodigi & auari, talia autem non videntur posse ordinari in vñus finem, ergo &c.

Sancto Porciano

3 IN contrarium est, quia finis & agens sibi correspōdent, sed omnium est vñus principium agens, ergo vñus ultimus finis.

4 R E S P O N S I O. Quum queritur, de fine voluntatis, intelligendum est de fine quē intendit voluntas in actu suo considerato secundū esse morale, sicut dans eleemosynam intendit meritorum quid apud Deum, vel ad vanam gloriam apud homines, in quo sensu videtur procedere questio. Dicendum ergo quod finis proximus & remotus, proximus finis omnium bonarū voluntatum est vñus & idem secundū speciem, circa eandem materiam, similitudine autem nō est idem. Primū pater, quia recte agere contingit solum vno modo, deficere autem multipliciter ut pater ex. 2. Ethic. sed modus quo contingit recte agere est tota causa secundum Dion. in qua præcise includitur finis: vnde & Philos. dicit quod eius causa sit aliquid maximum attendendum est in actu morali, ergo finis proximus idem secundum speciem intenditur ab omni bona voluntate circa eandem materiam secundum speciem, & in hoc differt bona voluntas a mala, quia mala voluntates circa eandem materiam feruntur in diuersa, & quandoque in contraria, sicut voluntas intemperata & insensibilis circa delectabilis gustus & tactus, sed voluntates bona feruntur in idem, & propter idem, quia propter bonum virtus tis quod est vñus.

5 Secundū pater, quia finis proximus proportionatur his quae sunt ad finem, sed ea circa quae sunt bona voluntates, sunt differentia secundū speciem (ut patet in obiectis diuersarū virtutū) quare &c. Vnde Philos. in. 1. Ethic. dicit quod multis operationibus existentibus, & artibus & doctrinis multi sunt & fines. Si vero loquamur de fine ultimo, sic de eo postulamus loqui dupliciter. Vno modo secundum generalem rationem ultimi finis. Alio modo secundum illud in quo specialiter ratio finis ultimi inuenitur. Primo modo omnium voluntatum, tam bonarum quam malarum est vñus ultimus finis. Quod patet, ratio enim generalis ultimi finis est bonum perfecte, queritans voluntatem, in ultimo enim est quies. In imperfecto autem in quantum huiusmodi, nihil quiete, sed mouetur ad suā perfectionem, quia motus est actus imperfetti, ergo ratio ultimi finis est quod fit bonum perfectum. Istud finaliter intenditur ab omni voluntate. Ad hoc enim tendit finis litter omnis voluntatis in quantum potest, vt possit carere malo, & adipisci bonum; tali autem est bonum perfectum. Nam bonum imperfectum in quantum imperfectum, habet aliquog; modo rationem mali: ergo &c.

6 Quantum vero ad illud in quo ratio specialis ultimi finis consistit. Scindendum est quod voluntas bona aut sequitur rationem syllogisantem ex principiis fidei, aut syllogisantem solum ex principiis legis naturalis. Si sequitur rationem syllogisantem ex principiis fidei, sic omnium bonarū voluntatum est vñus finis ultimus, sc̄ilicet vita æterna. Quod paret dupliciter. Primo quia voluntas non est bona, nisi praecedat ratio recta practica; vbi cung; ergo processus rationis practica derivatur ex vno principio, ibi eleæcio voluntatis & eius intentio terminatur ad finem vñus, quia principium rationis practica est finis, sed rotus processus rationis practica syllogisantem ex principiis fidei derivatur ex vno primo principio, sc̄ilicet ex vita beata, vnde & tam Christus quām Ioan. sic arguebat, penitentiam agite, & approximabit regnum celorum; sic & in alio loco, si vis ad vitam ingredi, ferua mandata, & huiusmodi voluntatis, ergo &c. Secundo quia illud quod est ultimum in affectione, est principium in intentione, sed ultimum quod assequuntur omnes bona voluntates illi ministrant per fidem est vita bona, ergo &c.

7 Si autem voluntas sequitur rationem deliberarem ex principiis legis naturalis, sic magis dubium est, an omnium bonarū voluntatum sit vñus finis, & si est vñus, quis sit ille. Nam finis supernaturalis, de quo iam dictum est, expectatur ex alterius munere, & est vñus, quia vñus est quod nobis pro præmio datur, sc̄ilicet visio beata. Sed finis naturalis attingitur proprio opere, est enim vñus alius, cuius principii naturalis: operations enim sunt fines, vbi præter operations nō sunt operata, vt dicitur. i. Ethic. Quum igitur principia operationum multa sint in nobis & habitus virtuosi, quibus redditur opus bonum multi sunt,

Lib. II. Distinctio. XXXIX.

sunt, & non viuis tantum: videretur quod non possit esse
vnuis finis omnium bonarum voluntatum.

3. Sed hoc non obstante probabilius tenendum est quod
vnuis virtus finis omnium bonarum voluntatum, quia
licet sint in nobis principia multa actuum, & mali habitu-
rum & actus: est tamen in eis ordo, quia potentia ordinatur
ad potentiam, & habitus ad habitum, & actus ad actum,
sicut sensituum ordinatur ad intellectum & habitus &
actus sensitiva pars ad habitus & actus intellectus, li-
cet igitur propria operatio secundum vnamquaque virtu-
tem in finis proximus illius virtutis, operatio tamen per
secessimae potentiae secundum perfectissimum habitum relpe-
t & perfectissimi obiecti est huius virtutis omnium poten-
tiarum & habituum inferiorum: & hoc modo ponit Philo.

4. Ethic. felicitatem quae est optima operatio esse totius
vitae humanae finem. Nec tam oportet quod hic finis
actu, & explicite intendatur in qualibet actu bona voluntatis,
sed sufficit quod intendatur habitus, sicut ad bonam
voluntatem sequentem rationem illuminatam per fidem
non requiritur quod semper acta explicito intendatur beatitudo:
multi enim sunt bene fideles, qui explicite nesciunt
quid sit beatitudo, etiam illi qui scimus non semper in quo-
libet bono actu de ipsa cogitant, sed sufficit quod a prin-
cipio ordinari actus iusos ad salutem, & virtus huius ordi-
nis remanet in actibus meritioris qui succedit, & eodem
modo sufficit in bonitate moralis, a principio intendatur ho-
mo ea que deducunt ad virtutem perfectam, que inten-
dit habitus manet in omnibus actibus sequentibus.

5. PER hoc apparet solutio ad primum argumentum.
10. Ad secundum dicendum quod non est finis de malis
voluntatibus, & de bonis. Nam male voluntates sunt per
aversiōnēm a bono, quod contingit multipliciter. Bonae
verō per conuersiōnēm ad bonum, quod contingit uno
modo circa eadem materiam. Item non est aliud quod perfe-
ctum malū ad quod male voluntates ultimō ordinantur,
sicut est perfectum bonū, ad quod bonae voluntates finali-
ter tendunt: propter quod malarum voluntatium non est
idem finis neque simpliciter, nec circa eandem materiam.

Sententia huius distinctionis, xxxix.
in generali & speciali.

Hic autem oritur quæstio satis necessaria. Superius
Magister determinauit conditionem voluntatis in
comparacione ad finem. Hic determinat de eade in com-
paratione ad alias potentias. Et diuidit in partes qua-
tuor. Primo mouer quæstionem. Secundo solvit dupliciter
remouendo circa hoc quādā obiec̄iones. Tertio mouer
alijā quæstionem. Quartō solvit tangēdo diuerſas opinio-
nes. Secunda ibi, Ad hoc facile responderet. Tertia ibi, pre-
terea queri solet. Quarta ibi, proposita est profunda que-
stio. Et haec est sententia & diuina lectio in generali.

2. IN speciali autem sic procedit. Et proponit primum,
quoniam omnis naturalis potentia bona sit, & voluntas sit
naturalis potentia, quoniam modo voluntas potest esse mala &
in ea esse peccatum. Postea responderet quod inquantum
est naturalis potentia, bona est inquantum verō inordinata,
est mala. Sed adhuc refutat quæstio, quare in aliis po-
tentias non est inordinatio, ita sicut in voluntate: & re-
sponderet quod in potentia ipsius voluntatis non est inordi-
natio, sed in actu eius. Sed adhuc refutat quæstio, quare
etiam inordinatio non est in actibus aliarum potentiarum
& responderet quod hoc video est, quia non sunt eius
generis cum actu voluntatis. Non enim ordinatur
ad alijū consequendū vel disponendum sicut actus vo-
luntatis. Aliquando tamen actibus aliarum potentiarum
homo vitiōs vicitur. Illi etiam qui dicunt voluntatem
malam non esse bonam, nec à Deo esse, nō intelligunt de
natura potentie, sed de actu eius quem dicunt non esse de
naturalibus. Postea querit virtus sit eadem voluntas que
naturaliter vult bonum, & repugnat bono. Et dicit quod
secundum aliquorum opiniones nō est eadem voluntas,
quia non est idem voluntatis motus, quia vnuis est natu-
ralis, id est, à prima conditione homini competens: alter
est voluntatis, inquantum voluntas est, quae per gratiam
a seruitute peccati liberatur. Alii dicunt quod idem est
motus voluntatis, &c.

Quæstio I.

193

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum culpa per prius sit in voluntate, an in ratione.

Circa distinctionem istam primò queritur, vtrum cul-
pa per prius sit in voluntate, an in ratione. Et vide-
tur quod in ratione, quia in illo per prius inuenitur ratio
culpæ, quod necesse est primò deficere, sed necesse est pri-
mo deficere rationem, quia in volū atēm omnis enim de-
fectus electionis supponit aliquem defectum rationis, ut
declaratum est supra, d. 2; q. 1. & d. 5; q. 1. & 2. & d. 7; q. 1.
ergo &c.

2. Item sicut se habet intellectus quantū ad verū & fal-
sum ad phantasiam cuius actū supponit, sic voluntas quā-
tum ad bonū & malū ad rationem quam legitur &
supponit, sed falsum nō est in intellectu, nisi ratione pha-
ntasias. Et vult Philo. 4. Meta. ergo nec malū est in vo-
luntate, nisi propter defectum rationis.

3. IN contrarium est, quia in illo per prius inuenitur
peccatum in quo per prius inuenitur voluntarium, sed per
prius inuenitur voluntarium in actu voluntatis, qui est vo-
luntarius per essentiam quam in actibus aliarum poten-
tiarum qui sunt voluntarii solum per participationem,
ergo &c.

4. R E S P O N S I O. Ita quæstio potest intelligi du-
pliciter. Vno modo quod defectus rationis practica in
iudicando & defectus voluntatis in eligendo sunt duo
culpæ sicut sunt duo actū & queritur quæcūq; istarum prece-
dit. Alio modo quod nō sunt plures culpæ, sed queratur
de quo per prius dicitur nomen culpæ. Primo modo que-
stio supponeret falso, nullus enim dicitur incontinens
quando iudicari fornicationem esse bonam & eam eligit
peccare duobus peccatis. Alioquin cum omnem malā elec-
tionem precedat aliquis defectus in ratione (vt in prece-
ditibus ostensum fuit, d. 2; q. 1.) impossibile esset quod
aliquis male eligens peccaret vniico peccato solum quod
est incontinens, ergo oportet quod intelligatur secundo
modo, & si intellectus prima facie videretur magis falsus
quam primus, quia omnis defectus debet rectitudinis in
operatione cuius habemus libe. dominium videretur esse
culpa, sed defectus rationis practica in iudicando & vo-
luntatis in eligendo sunt duo defectus quorum cuiuslibet
habemus liberum dominium, ergo vt videretur sunt
duo peccata, vel duo culpæ & non vna tantum.

5. Et dicendum ad hoc quod defectus rationis practica
in iudicando est quoddam peccatum. Cuin sit carentia de-
bet rectitudinis in operatione, sed hoc secundum se ma-
gi habet rationem peccati nature quam culpa in mori-
bus (defectus enim rationis practica nō habet rationem
culpæ nisi querens per ipsum habet regulari electio vo-
luntaris de agibilibus à nobis) rationem enim peccati vel
culpæ in moribus non habet nisi querens per ipsum ha-
bet regulari electio voluntatis. Quod patet, quia ratio
speculativa erronea quantumcumq; sit in nostra potestate
non est culpa, vel peccatum in moribus vt cūl aliquis ex-
istimat quod anguli trianguli non sunt æquales duobus
rectis non dicitur malus inmorality, nec peccare in mori-
bus, quia talis existimatio non est nata regulari electio
nem voluntatis de agibilibus à nobis, existimatio ergo
practica falsa ex hoc solo habet rationem culpæ vel pec-
cati in moribus quia est regula electionis voluntatis. Ex
hoc sic arguitur, vnum numero est per quod vnum deno-
minatur intrinsecè & aliud extrinsecè, sed à defectu quæ
est in electione ipsa electio denominatur mala & culpa
bili int. infec̄t, ratio autem erronea ipsam precedens de-
nominatur mala & culpabilis in moribus solum extin-
scit, quia non dicitur talis nisi quia est regula electionis
vnde declaratur, ergo vna numero culpa elec̄tio practica & electionis sequentis. Et istud amplius declarabitur in sequentibus. Sic ergo licet sint duo defectus in ra-
tione practica errante, & in electione mala subsequente,
ac per hoc duo peccata inesse natura, tamen non est nisi
vnum peccatum in moribus, propter solum defectum quo
electio est mala formaliter & intrinsecè, & ratio erronea
dicitur mala extrinsecè tanquam regula electionis.

6. Sic ergo intellecta quæstio dicendum est quod culpa
per prius dicitur actu voluntatis quā rationis. Quod pa-
ret, quia habitus & priuatio per prius dicuntur de subiecto

*Hæc que 201
culpa sunt pa-
remp̄tive de-
sunt in omni
hoc eodius
scriptis*

BB 3 33